



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Virgilij & Polybij de bello sententia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

magnitudinem, privatarum miseriarum sensum hebetari. Verba eius sunt. *Communis calamitas dolore superat incommoda singulorum. Ac quemadmodum medici de corporis incommodis dicant, cum duo simul in uno corpore morbi concurrerint, solius exuperantis sensum existere, ac latere quadam modo mali inferioris dolorem immensa atq; insuperabili magnitudine praevalentis celatum. Itidem incommoda belli exuperantiâ acerbitatam efficiunt, ut proprias calamitates homines singulares non sentiant. Quod ad propriorum incommodorum sensum animus quodammodo torpet, communibus si belli malis consternatus, maioribus ita occupetur & crucietur, ut etsi minora quoque illa privata sentiat, tamen neque sentire, neque affirmare videatur. Multo autem minus villo voluptatis sensu frui potest, quisquis belli tam enormes arumnas sentit. Vbi arma & equi, ubi ferrum acutum & tuba sonans; ubi phalanges hastis inhorrescentes, & sentia coherentia scutis; ubi galea cristis ad terrorem compositis nuscant; ubi confictus, impressiones, manuum confertiones, praelia, caedes, fuga, persecutiones, gemitus, ululatus; ubi terra sanguine madet; mortui consulantur, & obieruntur; saucy derelinquuntur; atque omnia sunt, quae cumq; in aspero bello accidere solent; numquid in his rebus occupato otium unquam erit, cogitationem ad rei alicuius iucunda recreationem convertendi? Quod si quando animum subeat etiam alicuius rei iucundissima memoria, nonne recordatio charissimorum, in tempore periculi cogitationem subiens, accessio calamitatis fit? Usque adeo non solum mala in bello dolorem gignunt, sed ipsa etiam bona, quae adhuc habemus, augent doloris acerbiteriam.*

IV.

Hæc ubi è S. Asterio & S. Gregorio Nysseno recitati, protulit comes meus è sibi Virgilium, & legit sequentes versus veteris querelæ rusticorum.

Virgil lib. II.
Georgic,

*Quippe ubi fas versum atq; nefas: tot bella per orbem,
Tam multa scelerum facies: non ullus aratro
Dignus honos, squallens abductis arva colonis:
Et curvae rigidum falces constantur in ense.
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum.
Vicina ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt: saevit toto Mars impius orbe.
Vi enim carceribus se se effudere quadriga,*

Addant

*Addunt se in spatia: & frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit curvus habenas.*

Leeta hæc carmina, mox in vernaculos rhythmos ita dexterè trans-
tulit, ut cum Latinis Germanica de gratia certarent. Ego, *VL*
Poëtæ similitudinem de indomitis equis currum rapientibus, au-
riga licet renitente, explicarem; cum Sallustio dixi: *Omne bellum*
sumitur facile, caterùm ægerrimè desinit. Non cuius in potestate ini-
tium, eius & finis est. Nam ut prudenter scripsit Polybius, *quem-*
admodum si quis siluam semel accenderit, non amplius ad ipsius arbi-
trium fertur incendium, sed depascitur, quidquid deprehenderit, ven-
tusq; regitur, & subiecta silua consumptione; ac sæpenumero ipsum in-
censores cum primis, præter expectationem, corripit. Ad eum modum
& bellum, si semel à nonnullis excitatus exarserit, tum quidem illos
primùm perdit, postea verò fertur iniuste, singula, quæ incidunt, perdens,
agitatum temeritate, & ab ignorantia accedentium, velut à ventis in-
flatum. Itaque malum quoddam est bellum, & grande malum, &
malum incendio siluæ par, quod facilius est accendere, quàm ex-
tinguere. Neque enim prælium dumtaxat, aut conflictus armo-
rum, sed etiam professio illa & durabilis voluntas aduersariæ par-
titi & armis nocendi, bellum nuncupatur.

Veteres Poëtæ, qui rerum vim ac naturam sagacissimè per-
spexerunt, & aptissimis figmentis adaptarunt adumbraruntque,
tradidère bellum ab inferis immitti, idque Furiarum ministerio:
neque quamlibet Furiam ad hoc negotij conficiendum esse ido-
neam. Putarunt enim deligi omnium pestilentissimam, *cui nomi-*
na mille, Mille nocendi artes: quæ innumeris armata colubris Tar-
tareâ buccinâ præcinat. Dehinc, apud eosdem Pan infano tumul-
tu complet vniuersa. Bellona furiosum quatit flagellum. Furores
impus, ruptis omnibus vinculorum nodis, euolat horridus ore
cruento. Grammatici, & cum illis D. Hieronymus, bellum
nar' ἀνρίσσειν dictum volunt, quòd nihil habeat neque bonum,
neque bellum: nec alia ratione bellum esse bellum, quàm sit lucas,
qui minimè lucet, Parca, quæ minimè parcunt; aut Furia E-
umenides. Alij malunt cum Festo bellum à belluâ deductum, quòd
belluarum sit, non hominum, in mutuum exitium congregi. Hinc
illæ exclamationses:

M m m m

Qm

Sallust. in Iugurtha.
Polyb. lib. 10. historiar.

V.
Erasm. Chri-
liad. 4. cent. 1.

D. Hierony-
mus ep. 127.
ad Fabiolam.